

urbe ejiciendam. Irent igitur, publicoque decreto Ducatu, 1032  
 magistratibus, suffragio, omniq[ue] dignitate Urseolæ genti  
 interdicerent: hostes judicarent: judicatos in exilium age-  
 rent. Quod ipsum stulta multitudo, veterum ejus gentis in  
 se meritorum oblita, alieni odii ministra, continuo decre-  
 vit: sic illustris ad eam diem familia, & quæ summos in Re-  
 publica viros habuit, præfenti ignominia eo usque depressa  
 est, ut ad pristinam fortunam nunquam amplius emerserit.  
 Cæterum eodem auctore sublatus est mos, collegæ in princi-  
 patu cooptandi: quod ipsum, ut est Reipublicæ utilissimum,  
 ita ad hunc diem maxime servatur. Hæc ab eo domi toto de-  
 cennio quo Princeps fuit, gesta dicuntur: quid dignum me-  
 moria foris egerit, non reperio. Verum confectus jam se-  
 nio, humanæ necessitati concessit.

In ejus locum Dominicus Contarenus publico suffragio  
 suffectus est. Pepo interim circa Gradum omnia turbarat: ad  
 cujus conatus opprimendos (quia alia major cura civita-  
 tem incesserat) nihil in præsentia est decretum. Jaderenses  
 ad Croaciorum Regulum defecerant, vel, ut alii scribunt,  
 ad Salomonem Pannoniæ Regem. Qua defectione audita  
 (apparebat enim, nisi primo quoque tempore Veneta classis  
 in Dalmatiam processisset, fore ut non multo post reliqui po-  
 puli, qui jam ad defectionem spectare dicebantur, Veneto  
 alienarentur imperio) confessim Dux ingenti vi navium in  
 Dalmatiam transmisit: Jaderam obsidione cingit, cinctam  
 operibus expugnat. Jaderensis expugnationis fama peroppor-  
 tuna fuit ad cæteras urbes in fide continendas. Interim Pe-  
 po vi Gradum secundo occupat: urbemque primo impetu  
 captam, longe majore clade quam antea afficit. Veneti eam  
 injuriam ægerrime ferentes, tantisper ultionem distulerunt,  
 donec ad Benedictum Pontificem legatos mitterent, de Pe-  
 ponis injuria questum; tum si ille dicto Pontificis, quem ap-  
 parebat omnia inhibiturum, non paruisse, decretum erat,  
 Gradenium cladem armis vindicare. Paruit Pepo Pontifi-  
 ci: sed illum, ut acerbo & pertinaci fuit ingenio, ita pa-  
 rum honesto mortis genere non multo post ajunt extinctum.  
 Sunt qui tradant, per hæc tempora Leonem Romanum Pon-  
 tificem

*Lex lata, ne  
 in posterum  
 Duc iaceat  
 ullæ coopta-  
 re collegam.*

1043  
*Succedit  
 Dominicu  
 Contare-  
 nus.*

*Jaderenses  
 deficiunt.*

1044  
*Pepo Anti-  
 stes Aquile-  
 jenfis ocia  
 Republicæ  
 turbat.*